



# Disputatio juridica inauguralis de fidejussoribus

<https://hdl.handle.net/1874/347223>

10.

DISPUTATIO JURIDICA  
IN A U G U R A L I S,  
D E  
FIDEJUSSORIBUS.

Q U A M,  
FAVENTE DEO TER. OPT. MAX.

*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in  
Ecclesiâ Præconis,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimæque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S  
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis  
ritè, & legitimè consequendis.

*Eruditorum examini subjecit,*

MATTHIAS HENRICUS van WIJCK, Beverovicensis Bat.

*A. D. 10. Jun. hora loquoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, clō Ioc LXXXIX.



*Genere & Virtute Viris Nobilissimis.*

D. D. JOANNI de GRAEFF,  
J. U. D. avunculo meo plurimum honorando.

D. D. JOANNI van EGMONT  
vander NYENBURGH, Reipublicæ Alckma-  
rianæ. Exconsuli, Aggerum Petteneorum Præfecto,  
quondam nomine ordinum Hollandiæ Westfrisiæ  
in concessu ordinum confœderatarum Provinciarum  
Belgii deputato nec non eorundem nomine ad con-  
siliium status confœderati Belgii Deputato, avun-  
culo meo affini omni observantia venerando.

D. D. JOANNI COETENBURGH,  
J. U. D. cognato & extutori meo fidelissimo pa-  
rentis defuncti loco summa animi reverentiâ semper  
colendo.

U T E T

*Illustrissimo, Nobilissimo ac Amplissimo Viro*

D. D. THEODORO van VELTHUYSEN,  
Toparcha in Heemstede Williscop, Kortheefwijck  
&c. &c. Illustribus ac præpotentibus Reip. Traje-  
ctinæ Ordinibus electis, adscripto, eorumque no-  
mine deputo ordinario. Cognato meo affini omni  
honore persequendo.

*Hanc disputationem Inauguralem*

Humillime Offert

MATTHIAS HENRICUS van WIJCK, Auctor.





DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
FIDEJUSSORIBUS.

THESIS I.



DE de impossibili, & per consequens inutiles casu, hæc mea fit disputatio; paria enim sunt apud Jurisconsultos cæterosque; integræ vitæ homines, facta naturâ suâ impossibilia, & ea, quæ legibus vel divinis vel humanis sunt contraria; ut præclarè Papinianus noster, in *l. filius 15. ff. de cond. instit.* quapropter primo fundamentalis, cui tota innitur hæc disputatio; tractanda venit quæstio: an sit licita tam divino, quam humano Jure fidejussio, quod indubitanter affirmo, ex jure divino *Prob. Gen. cap. 42. vers. 37. & cap. 43. vers. 9. & 32.* ubi frater fidem suam interponit pro fratre, & ex novo Testamento per Epistolam Divi Pauli ad Philemonem *vers. 17. & 18.* ubi Apostolus fidem suam interponit pro Onesimo: Jure verò humano quin sit licita fidejussio nullum puto esse dubium: tum propter utilitatem



#### 4 DISPUTATIO JURIDICA

tatem commerciorum, sine quibus nulla floret respublica; tum propter expressas leges, Corpori Juris, ubique fere terrarum recepto, initas & ab Imperatoribus tam ethnicis quam Christianis, approbatas.

##### I I.

Ut autem nihil ad clariorem rei intellectum aptum præmittatur, ab etymologia nominis vel si mavis allusione ad illud incipiendum duco, cum & hoc apud Jurisconsultos non infrequens esse reperiam ut pact *ex pr. inst. de test. ordinan. ex l. 1. de acq. possess. & l. 1. de novat.* Fidejussor itaque vel fidejussio *secundum vin. ad pr. inst. de fidejuss.* dicta est à *jussione & fide* ut dicit patere ex formulis quas passim legimus: ego autem à duplici verbo nomen derivatum vel potius significationem habere existimo, nempe à verbo, *fide* in imperativo & verbo *Jubeo* ut æquivalet hinc *Jubeo ut fidas*: sed hæc speculativa tantum quare ad utiliora progredior.

##### I I I.

Cum vero ex definitione optime alicujus rei natura percipiatur ab hac incipiendum esse dicitur ratio; est ergo fidejussor qui interveniente stipulatione *l. 5. §. 2. ff. de verb. oblig. l. 12. C. hoc tit.* alienam obligationem *pr. inst. hoc tit. l. 93. §. 2. ff. de solutionib.* in fidem suam suscipit *l. 75. §. 6. ff. de verb. obl.* sic ut debitor principalis maneat obligatus *l. 5. & 23. C. hoc tit. l. 5. §. 2. ff. de verb. obl.* ad hoc ut creditor de debito reddatur securior *pr. inst. hoc tit.* cum fidejussore junguntur in *l. ult. C. de const. pecun.* mandator & constituta pecuniæ reus, quod in plerisque, eodem Jure habeantur teste *Vin. in pr. inst. de fidejuss.*

## I V.

Patent tamen non obstante *dicta l. ult. C. de constit. pec.* satis notabiles differentiae: mandator enim obligationem praecedit *Eckholt. §. 6. de fidejuss. Calvin in suo lex. jurid. ad verb. mandatores* fidejussor vero & praecedit & sequitur obligationem. §. 3. *inst. l. 6. §. 2. ff. hoc tit.* secundo mandator tam praesens quam absens constitui potest *l. 1. §. 1. l. 32. ff. mandati.* fidejussor autem debet esse praesens *l. 32. ff. mandati §. 7. inst. de inuil. stip.* Tertio mandator nudo consensu constituitur *pr. inst. de obl. ex consensu.* fidejussor autem sola stipulatione *l. 5. §. 2. ff. de verb. obl.* Differt etiam fidejussor a constitutore quod hic ex pacto obligetur *§. 9. inst. de act.* & tam praesens quam absens per nuntium vel epistolam *l. 14. §. 3. l. 26. ff. de constit. peccun.* ille vero non nisi praesens & per stipulationem obligatur *l. 12. C. hoc tit.* insuper constitutor & suae & alienae obligationi accedit *l. 13. l. 5. §. 2. ff. de constit. peccun.* Fidejussor autem tantum alienae non propriae *l. 21. §. 2. ff. hoc tit.* Non convenit etiam Fidejussor cum expromissore quia per hunc principalis debitor liberatur *arg. l. 37. §. ult. ff. de operis libert.* quod non fit per fidejussorem *l. 4. l. 23. C. hoc tit.* Expromittit quis etiam pro seipso *l. 11. §. 2. ff. de peccun.* non autem pro se ipso quis fidejuberere potest *l. 21. §. 2. ff. hoc tit.* Discrepat etiam fidejussor a sponse, qui tam per pactum quam per stipulationem obligatur *l. 7. §. 12. ff. de pactis l. 7. ff. de V. S.* fidejussor ut dictum tantum per stipulationem. Ultimo degenerat fidejussor a correis debendi, hi enim ipsi sunt principaliter & ad proprium debitum obligati *l. 2. l. 4. de duob. reis constit.* fidejussor vero alieno debito accedit *l. 21. ff. hoc tit.*

## V.

Dictum jam aliquoties fidejussorem non nisi per stipulationem obligari, hoc tamen patitur exceptionem in fidejussore,



qui pro tutore apud pupillum intervenit, is enim si præsens patitur nomen suum in acta publica referri, perinde ac si stipulatio intervenisset obligatur, *l. 4. §. 3. ff. de fidejuss. & nominat. tut.* Moribus etiam ex nudo pacto obligatur fidejussor ut testatur. *Soesius n. 2. ff. hoc tit. Peregrinus n. 2. C. h. t. Voet in compen. jur. eod.*

## V I.

Fidejubere possunt omnes qui non prohibentur, quidam autem prohibentur ob defectum ætatis ut infans *l. 1. in pr. ff. de verb. obl.* Pupillus sine tutoris auctoritate *pr. inst. de auct. tut.* inutilis enim est illorum fidejussio, qui se aliis obligare non possunt *§. 9. inst. de inutil. stip.* minores 25 annis cum beneficio restitutionis in integrum gaudeant adversus suam fidejussorem *l. 48. §. 1. ff. hoc tit. l. 8. §. 1. ff. qui satisd. cog. l. 5. C. de in integr. rest.* non admittuntur. Ob defectum animi inidonei sunt furiosi & mente capti cum nullum negotium recte gerant, utpote destituti voluntate & consensu *l. 40. ff. de R. J. Ratione defectus corporis non fidejubet surdus l. 1. in pr. ff. de verb. obl. §. 7. inst. de inutil. stip. nec mutus §. 7. inst. de inutil. stip. l. 1. §. 14. ff. de obl. & act.* quos duos ultimos recte moribus fidejubere existimo, uti etiam in casu *l. 4. §. 3. ff. de fidejuss. & nominat. tut.* quia cessat ratio ob quam jure scripto fidejubere nequeunt.

## V I I.

Præterea ex lege quibusdam datum est privilegium, ut simpliciter fidejubendo non obligenter cujus generis est miles *per l. 31. C. locat. conduct.* ne omisso armorum usu privatis negotiis occupetur, in magnum Reipublicæ detrimentum, nisi tamen in rem suam, ut v. g. pro procuratore suo fidejubeant *l. 8. §. 1. ff. qui satisd. cognat.* Quibus Imperator adjungit ceteros in *N. 123. Cap. 6.* ne & hi forensibus intricati negotiis.

Divina



Divina ministeria minus recte expediant : Servi quoque extra rem peculiarem insciis dominis inidonei habentur fidejussores *per l. 3. 19. 20 ff. hoc tit.* quia sic domini æri alieno per servos obligarentur, quod fieri vetat *l. 6. ff. de acqu. hered. l. 133. ff. de R. J.*

## V I I I.

Mulierum quoque inefficax est fidejussio & primo quidem tantum pro maritis suis temporibus Augusti & Claudii *l. 2. in pr. ff. ad SCtum vellej.* jure verò novo pro nullis efficax eorum est fidejussio *l. 2. §. 1. ff. ad SCtum vellej.* quare si de facto fidem suam mulier interposuerit, tuta nil ominis est ope exceptionis si necdum solverit *l. 11. ff. ad SCtum maced.* solum vero repetit ope conditionis indebiti. *l. 40. ff. de condit. indeb. l. 8. §. 3. ff. ad SCtum vellej.* Varii tamen in jure repertiuntur casus in quibus non prodest mulieribus SCtum Vellejanum I. si in rem suam fidejubat mulier *l. 13. in pr. ff. ad SCrum vellej.* II. Si mulier similet in rem suam fidejubere licet re ipsa pro alio intercedat, *l. 11. ff. ad SCtum vellej.* deceptis enim non decipientibus jura subveniunt, modo etiam creditor ignoret intensionem mulieris *l. 4. ff. ad SCrum vellej.* scienti enim creditori nil ominis obstaret SCtum vellejanum *l. 12. ff. ad SCtum vellej.* III. Si mulier acceperit pretium pro fidejussione, & hoc ipsum in instrumento expressum sit, privatur beneficio SCTi Vellejani *l. 23. C. ad SCtum vellej.* IV. Si mulier perfectæ ætatis post factam intercessionem biennio præter lapso, eandem sponte repetierit, vel pignus, vel intercessorem dederit cum effectu ex sua iterata intercessione obligatur *l. 22. C. ad SCtum vellej.* V. Si pro suo creditore fidejubeat *l. 2. C. ad SCtum vellej.* quia idem est ac si in rem suam fidejubeat. VI. Si pro dote intercedat *l. ult. C. ad SCtum vellej.*



## I X.

An ob venuntiationem a muliere factam cesset SCtum Vellejanum disputant inter se magni nominis interpretes; Alii enim negant, alii distinguunt an judicialis sit renuntiatio, an extra judicialis priorem validam esse asserunt, secus verò posteriorem; alii vero absolute affirmant, quibus ego assentior, modo de suo beneficio antea edocta sit mulier *l. 32. §. 4. ff. ad SCtum vellej. l. ult. & aurb. matri & avia C. quand. matri & avia C. quand. mul. tut. off. fungi N. 118. C. 5.* est enim hoc SCtum in favorem mulierum introductum *l. 40. ff. de reb. cred.* quilibet autem favori pro se introducto potest renuntiare *l. 41. ff. de minorib. l. 48. ff. de pactis l. 29. C. eod.* & clare mea opinione probatur *ex l. 22. C. ad SCtum vellej.* nam si intercessio mulieris esset contra *l. l. ut dissentientes volunt,* esset suâ natura vitiosa: jam autem ex duobus actibus vitiosis vel actu vitioso iterato minimè potest oriri actus validus & juri nostro conformis; oritur tamen in *dicta l. 22. C.* ex intercessione iterata actus validus & legitimis, ergo intercessio mulieris non ut iniqua sed tantum ut mulieribus damnosa & maximè ob sexus earum fragilitatem & imperitiam, periculosa in earumdem favorem inefficax habetur; quare favori pro se introducto recte renuntiant. Moribus quin recte renuntiant extra controversiam est teste *Groeneweg. ad l. 23. antiqua C. ad SCtum vellej. Simon van Leeuwen lib. 4. Cap. 17. num. 4. Wassenaer praktijk notar. C. 10. §. 11.*

## X.

Fidejussores obligatio cum sit accessio alterius obligationis necessario aliquam obligationem, cui accedere possit requirit, quæ si non teneat non tenebit quoque accessoria *l. 16. ff. l. 29. l. 37. ff. hoc tit. l. 178. ff. de R. J.* omni autem obligationi accedere posse fidejussorem habet *l. 1. ff. hoc tit. l. 3. §. 6. ff.*



*ff. eod.* tam futuræ quam præcedenti *l. 6. §. 2. ff. hoc tit.* tam civili, quam naturali *l. 7. ff. hoc tit.* modo naturalis obligatio non sit penitus omni juris civilis auxilio destituta *l. 6. ff. de verb. obl.* nec interest si litteris siue verbis siue re, siue consensu constet principalis obligatio *l. 8. §. 1. ff. hoc tit. §. 1. inst. eod.* neque an fidejussor pure, an ex die, an sub conditione obligetur *l. 6. §. 1. ff. hoc tit.* sit ex delicto vel ex contractu obligatio non refert *l. 8. §. 5. l. 56. §. 3. ff. hoc tit.* dummodo ex delicto agatur civiliter & ad pœnam pecuniariam nam si agatur criminaliter & ad pœnam corporalem inutilis est fidejussio quia non potest soluti fieri restitutio & nemo suorum membrorum est dominus *l. 13. ff. ad l. aquil. & peccata suos debent tenere auctores l. 22. C. de pœnis.*

X I.

Dicta præcedenti thesi in aliquibus casibus patiuntur exceptionem, nam mulier pro dote recuperanda stante matrimonio fidejussorem exigere non potest *tor. tit. C. ne fidejuss. vel mand. dot. dentur.* ne scilicet causa perfidiæ in connubio generetur & fidejussoris exactio contumeliâ non caret *l. 17. §. ult. ff. de testam. tut.* nec pro actione populari *l. 56. ff. in fin. hoc tit.* nec pro obligatione mere civili *l. 3. §. 1. ff. de const. pecc. arg. l. 14. ff. de compensat.* nec pro obligatione præscriptione temporis finita *l. 37. ff. hoc tit.* nec pro obligatione turpi *l. 12. §. 11. ff. mandati.*

X I I.

Cæterum ex thesi X sequitur fidejussorem in plus quam debet reus principalis obligari non posse quia eatenus ejus obligatio non potest esse accessoria, non enim potest plus esse in accessione quam in principali re, *§. 5. inst. l. 16. §. 1. ff. hoc tit.* plus autem petitur quatuor modis, re, tempore, loco & causa *§. 33. inst. de act.* In minorem summam quam debet

B

reus



reus principalis fidejussor recte & cum effectu accipitur *l. 34. ff. hoc tit.* arctius nil ominus quam reus principalis potest obligari fidejussor, quare si debitor principalis tantum sit naturaliter obligatus potest fidejussor tamen etiam civiliter obligari *l. 6. §. 2. l. 16. §. 3. l. 65. ff. hoc tit.* item si debitor principalis sine pignore sit obligatus potest equidem fidejussor sub nexu pignoris obligari *l. 3. §. ult. ff. de administrat. rer. ad civit. pertin.*

## XIII.

Ratione præcedentis thesis celebris in hac materia discutienda venit quæstio, an fidejussor qui se in majorem summam obligavit, quam debet reus principalis, obligetur in summam concurrentem hoc est in tantum, quantum debet reus principalis, an vero nullo modo obligetur sic ut nulla ex illa fidejussione oriatur obligatio quod postremum videtur probari per *l. 8. §. 7. ff. & §. 5. inst. hoc tit.* non obstantibus tamen dictis locis priorem opinionem veriorum & juri conformiorem esse existimo, quod primo probatur a simili, stipulatio enim supra modum legitimarum usurarum, detracto superfluo vires habet atque subsistit quantumvis usuræ sint odiosæ *l. 9. in pr. ff. de usuris* item donatio excedens summam 500 solidorum & actis non insinuata non in totum sed tantum in quantum excedit non valet. *l. 34. C. de donat.* secundo ne utile per inutile vitietur & minor summa semper inest majori *l. 83. §. 3. ff. de verb. obl. hæc sententia quoque, probatur per l. 1. §. 4. ff. de verb. obl. l. 11. §. 1. ff. de const. pec. l. 22. C. l. 70. ff. hoc tit.*

## XIV.

Expositis requisitis ad hoc ut fidejussor efficaciter obligetur  
necessa-



necessariis, quosnam sortiatur effectus fidejussio restat videndum; inter quos primus & præcipuus est, quod perinde ac principalis debitor ad omne id quod tempore fidejussionis in obligatione fuit obligetur, sive fors sit sive usura *l. 68. §. 1. ff. l. 10. C. hoc tit.* de eo enim quod postea obligationi ex mora vel culpa rei principalis accessit fidejussor non tenetur *l. ult. ff. hoc tit.* nisi expresse vel tacite in omnem causam fidejussor sit *l. 54. ff. locati l. 10. ff. rem pupil. salv. for.* hæredem quoque suum fidejussor relinquit obligatum *§. 2. inst. hoc tit. l. 4. §. 1. ff. l. 24. C. eod.* est enim fidejussoria obligatio ex contractu quæ ex communi regula in hæredes est transitoria *l. 49. ff. de obl. & act.* quare si principalis obligatio sit ex delicto non indistinctè contra hæredem fidejussoris competit actio, sed tantum quo ad vivit principalis debitor *l. 10. §. 2. si quis caut. in jud. sist. caus. fac.* morte enim delinquentis extinguitur actio ex maleficio proveniens *§. 1. inst. de perp. & temp. act. l. 10. §. 2. ff. si quis caut. in jud. sist. caus. fact.*

## X V.

Deinde ex obligatione fidejussoria oritur actio ex stipulatu mediante enim stipulatione constituitur fidejussor *l. 5. §. 2. ff. de verb. obl.* competens creditori principali adversus quemvis ex fidejussoribus in solidum; liberum enim est creditori a quo velit solidum petere *§. 4. inst. hoc tit.* est & potestas creditori relicto reo principali fidejussores conveniendi *l. 5. C. l. 16. C. & l. 20. C. hoc tit.* Fidejussori vero si pro reo principali solverit, competit vel actio mandati si pro sciente & patiente intercesserit *§. 6. inst. hoc tit. l. 18. ff. mandati.* vel actio negotiorum gestorum si pro ignorante intervenerit *l. 20. §. 1. ff. mandati.* Contra confidejussores, fidejussori qui debitum solvit nulla competit actio nisi fidejussori, qui debitum solvit a creditore principali cessa sit actio *l. 11. C. hoc tit.* sed cum obstrictam adeo & periculosam obligationem ex fidejussione jure veteri proveniente, vix ulli  
 B 2 qui



qui fidem suam interponerent reperirentur, tria postea data sunt fidejussoribus beneficia rationi & æquitati apprimè convenientia ut beneficium ordinis seu excussionis *in N. 4. C. 1. Divisionis in §. 4. inst. hoc tit. & Cedendarum actionum l. 11. l. 21. & auth. presente C. hoc tit.* quare horum accurata pro viribus meis explicatio hic minime est omittenda.

## XVI.

Inter quæ primum locum sibi vindicare videtur beneficium ordinis sive excussionis, quod est privilegium quo opposito, creditor prius debet convenire debitorem principalem & eo excusso demum fidejussorem *per N. 4. C. 1. & auth. presente C. hoc tit.* fidejussorem, qui indemnitate dicitur, ipso jure tutum esse existimo etiam non opposito hoc beneficio *Zoef. n. 24. Eckholt. §. 26. ad hunc tit. l. 63. ff. hoc tit. l. 21. ff. de solut.* Cessat hoc beneficium I. ob renuntiationem à fidejussore factam *l. penult. C. de pactis*, modo de eo ante edoctus sit *Eckholt. §. 29. ff. ad hunc tit.* II. Si quis falso negaverit se fidejussisse & postea mendacii vincatur *arg. l. 10. §. 1. ff. hoc tit. l. ult. ff. de rei vindic. l. 22. §. 1. ff. de rejudic.* III. Si debitor principalis certo certius non sit solvendo inanis enim est actio, quam debitoris excludit inopia. IV. Si fidejussor sit præsens reus autem absens nisi eum intra tempus à judice determinatum judicio sistat *auth. presente C. hoc tit.* V. Si reus potens sit aut factiosus, qui difficulter conveniri potest. *arg. 112. §. 1. ff. de verb. obl.* VI. Si debitor principalis sit tantum naturaliter obligatus ut pupillus & similes tacite enim huic beneficio renuntiasse videtur quia scit aut scire debet tales personas conveniri non posse. VII. Si cum creditore non opposita hac exceptione litem contestatus sit est enim hæc exceptio dilatoria quæ post litem contestatam opponi non potest. *l. 12. l. 13. C. de exceptionibus.*



## XVII.

Sequitur alterum in favorem fidejussorum concessum beneficium sci: divitionis, quod est privilegium, quo opposito singuli fidejussores si plures sint qui pro eodem & eodem debito fidem suam interposuerunt, non possunt conveniri in solidum, sed quisque pro virili parte conveniendus est §. 4. *inst. l. 26. ff. hoc tit.* quod autem hoc privilegium in *dic. l. 26.* adscribitur Divo Adriano & in §. 4. *inst.* Divo Pio provenit ex eo quod vel repetitum sit à Divo Pio vel quod divus Pius nomen Adriani à quo adoptatus est assumerit *teste Cujac.* Cessat quoque hoc beneficium I. si ei debito modo renunciatum sit. *l. penult. C. de pactis.* II. Si quis falso negaverit se fidejussisse & postea mendacii vincatur. *l. 10. §. 1. ff. hoc tit.* III. Si sint plures confidejussores tutoris, qui rem pupilli salvam fore caverunt, pupillo agenti hanc exceptionem opponere nequeunt. *l. ult. ff. rem pupil. salv. fore.* IV. Si confidejussores reales sint à quibus propter exceptionem illis competentem nihil exigi potest. *l. 48. in pr. ff. hoc tit.* V. Si tempore exactio- nis debiti unus vel plures fidejussores non sint solvendo hoc enim cæteris nocet §. 4. *inst. l. 26. ff. l. 3. C. hoc tit.* si tamen lis necdum sit contestata: eà enim contestatâ si tunc quis fidejussorum sit non solvendo principalis creditoris damnum est. §. 4. *inst. l. 51. §. 4. ff. hoc tit.* VI. Si factum ad quod fidejussores sunt obligati, sit individuum. *arg. l. 2. §. 1. ff. de verb. obl. l. 25. §. 2. ff. fam. ercisc.* VII. Si unus fidejussorum jam totum debitum solverit non opposito hoc beneficio. §. 4. *inst. l. 11. C. hoc tit.*

## XVIII.

Ultimo loco venit beneficium cedendarum actionum quod est privilegium quo opposito unus ex fidejussoribus, qui totum debitum solvere paratus est petit à creditore principali ut actiones suas cedat adversus confidejussores & reum principa-



lem ex eâ causâ pro quâ fidejussio facta est, competentes  
*l. 11. l. 21. & auib. presente C. l. 13. l. 17. ff. hoc tit.* quibus ta-  
 men cessis non plus repetit à confidejssoribus quam quod  
 ultra virilem portionem suam solvit ad hac enim debitore  
 principali facto non solvendo ex propria persona est obligatus  
 §. 4. *inst. l. 3. in fin. C. hoc tit.* Aliquibus etiam casibus cessat  
 & hoc beneficium I. si ei renunciatum sit. *penult. C. de pactis.*  
 II. Si fidejssor solverit ante petitionem cessionis solutione  
 enim omnis actio extinguitur. *l. 76. l. 43. ff. de solut.* III. Si  
 neget se fidejssisse *arg. l. 10. §. 1. ff. hoc tit.* potest tamen hæc  
 exceptio etiam post sententiam cum effectu opponi. *arg. l. 41.*  
 §. 1. *ff. hoc tit.*

X I X.

Hucusque de fidejssoribus eorumque obligatione; quo-  
 modo autem hæc extinguitur paucis superest examinandum,  
 quod ut sciatur præcipue hæc attendenda venit regula, nem-  
 pe principali non subsistente neque subsistit accessio *l. 178. ff.*  
*de R. f.* quovis enim modo extincto debito principali ex-  
 tinguitur quoque fidejssio. De novatione sc. voluntaria quid  
 sit dicendum alicui posset esse dubium, hac enim peracta alia  
 succedit obligatio, rescriptum tamen est eo non obstante fide-  
 jssores liberari. *l. 4. C. hoc tit.* Liberantur præterea fidejssor-  
 es principali durante debito, si pactum intervenerit de liberan-  
 dis fidejssoribus *l. penult. C. de pactis*, vel si creditor prin-  
 cipalis fidejssori vel fidejssor creditori successerit, nemo  
 enim pro se ipso fidejssor esse potest. *l. 21. §. 2. ff. hoc tit.*

I I V X.

# COROLLARIA.

I.  
*IN mutuo fit alienatio.*

II.  
*Causæ exheredationis expressæ in No-  
vel. 115. possunt extendi ad similes vel  
graviores.*

III.

*Filiusfamilias de adventiis plenè testari  
nequit.*

IV.

*Filiusfamilias ob non confectum inventa-  
rium amittit legitimam.*

V. *Usu-*



COROLARIA V.

*Usufructuarius extraneo cedens usufructum non amittit usufructum.*

VI.

*Mandans simpliciter vulnus non tenetur de cade subsequente ex l. Cornel. de ficarus.*

F I N I S.

